

cus in 12. signa cœlestia diuiditur, quorum unumquodque ha-
bet 30. gradus in longitudine. Describitur hic circulus solus
omnium cum latitudine, propter motum Planetarum varium,
quem omnes habent sub hoc circulo; hinc 12. graduum lati-
tudinem habet 6. versus boream, & totidem versus Austrum:
quos gradus dissecit linea quædam per medium circumiens,
Eccliptica dicta, propter Ecclipses, quæ in ea perpetuo con-
tingunt, motumq; solis repræsentans; à qua linea, quæ stellæ
remouentur versus austrum, dicuntur habere latitudinem Au-
stralem; quæ versus boream, borealem. Stellæ præcipuæ extra
Zodiacum, uti spica Virg. oculus tauri, Bootes, &c. suis locis
dentibus quibusdam hinc inde notantur: hinc earum latitu-
do, quæ sumitur ab Eccliptica, ut dixi, & declinatio, quæ sumi-
tur ab æquinoctiali; per hanc Araneam sciri potest. Secat Zo-
diacus iste Æquinoctialem ad angulos obliquos, hinc circulus
obliquus appellatur; in duobusq; sectionum punctis; ariete
nimirum & libra, duo æquinoctia contingunt, sole illuc motu
suo pertingente, uti ex sphœra liquet.

Supra Araneam ponitur Regula Latinis ostensor & eius ex-
tremum, linea fiduciæ; Arabibus Almuri dicta, quæ in centro
affixa per totum limbum ad notandos gradus circumduci po-
test. Est præterea in Aranea foramen per omnia tympana &
ipsum dorsum transiens, quo partes inter se connectuntur. At-
que hæc de anteriori facie eiusque partibus.

Sequitur nunc posterior facies, quam dorsum appellari di-
ximus, quæ non secus ac ipsa tympana in 4. quartas à duabus
lineis sese in centro secantibus dirimitur; quarum illa quæ ab
armilla descendit, linea mediæ cœli; altera verò eam secans ho-
rizontalis seu finiens appellatur. Conspiciuntur item in hoc
dorso Astrolabij varij circuli, ac primò sese offerunt in margi-
ne faciei 4. concentrici, quorum omnium minimus & intimus
continet duodecim signa cœlestia depicta: secundus gradus

A 3 signorum,